



**R. P. Vincentii Brvni, Societatis Iesv, Meditationes, De
Præcipvis Mysteriis Vitæ & Passionis D. N. Iesv Christi**

Cum Veteris Testamenti Figuris, & Prophetijs, varijsque Documentis ex
quoque Euangelio depromptis, Nunc ex Italico in Latinum translata

Meditationes in Passionem Et Resvrrrectionem D. N. Iesv Christi

Bruno, Vincenzo

Coloniae Agr., 1599

VD16 ZV 2606

Meditatio 55. Quomodo Christus Dominus Mariæ Magdalenæ apparuerit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59870](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59870)



MEDITATIO

QUINQUAGESIMA QUINTA.

QUOMODO CHRISTVS

*Dominus apparuerit Maria
Magdalena.*

EVANGELIVM.

Marc. 16.

Ioan. 20.



ARIA autem stabat
ad monumentum fo-
ris plorans. Cùm er-
go fleret, inclinavit
se, & prospexit in mo-
numentum, & vidit duos Angelos
in albis sedentes, vnum ad caput, &
vnum ad pedes, vbi positum fuerat
corpus Iesu. Dicunt ei illi: Mulier
quid ploras? Dicit eis: Quia tulerunt
Dominum meum, & nescio vbi
posuerunt eum: Hæc cùm dixisset,
conuersa est retrorsum, & vidit Ie-
sum stantem, & non sciebat quia Ie-
sus esset. Dicit ei Iesus: quid ploras?
quem quæris? Illa existimans quia
hortu-

hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum, & ego eum tollam. Dicit ei Iesus: Maria. Conuersa illa dicit ei: Rabboni, quod dicitur, magister. Dicit illi Iesus: Noli me tangere; nondum enim ascendi ad Patrem meum. Vade autem ad fratres meos, & dic eis. Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum; Deum meum, & Deum vestrum.

PROPHETIÆ.

IDCIRCO ego plorans, & oculus meus deducens aquas, quia longè factus est à me consolator, conuertens animam meam. *Thren. 1.*

Surgam, & circuibo ciuitatem, per vias & plateas quarum quem diligit anima mea; quasiui illum, & non inueni: inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem. Num quem diligit anima mea vidisti? Paululum cum pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam. *Cant. 9.*

Ego diligentes me diligo, & qui mane vigilant ad me inuenient me. *Prov. 8.*

CONSIDERATIONES.

STABAT Maria foris ad monumentum, *1. Punctis.*

tum, & plorabat, quia videns se priuatam Magistro, & ignorans vbi quæreret illum, neque etiam valens viuere sine illo, nesciebat ecquid faceret aliud, quàm stare ibi, & ploraret, amoris vehementia detinebat illam & cogebat stare; dolor verò faciebat, vt plangeret. Doluerat quidem prius quando Magister sibi ablatuſ fuit per mortem, sed dolor iste inuenit aliquam consolationem, quando quidem potuit illum ad manus habere mortuum; sed iam cum nec mortuum quidem possit habere aut inuenire, dolet seclusa omni omnino consolatione. Venerat Maria ad sepulchrum, vt vngeret Iesum, sed corpus nō inueniens, non habuit occasionem vngendi, habuit tamen plangendi, & ipsum prosequendi lachrymis. Petrus & Ioannes venerant vnā cum Maria ad monumentum, sed illi occupati timore, abierunt; Maria verò mansit impauida, cum enim Magistrum illū suum perdidisset, supra omnia dilectum; non putabat sibi quicquā superesse in hoc mundo, quod ultra perderet, quando quidem cū ipso & vitam, & animam, & omnem suam spem perdididerat. Vnde stabat mortua potius, quam viuā, quia sentiens non sentiebat, & videndo nō videbat, imò nec erat vbi
erat,

erat, quia ibi tota erat, vbi Magister erat, etiamsi nesciret vbinam esset.

O Maria, ecquæ est illa spes tua? quod consilium? quod cor tuum, quæ sola vis manere iuxta monumentum, quod discipuli deseruerunt? Anne tu aut scientia instructior? aut amore in Iesum ardentior? aut constantia deniq; & animi excelsi firmitate ceteris discipulis es robustior? Verè Maria non erat discipulis doctior in vilo, extra hoc vnum, quod amare vehementius ceteris, didicisset, & plus dolere propter eum, quem tanto opere diligebat, quod illi nesciebant. Neque etiam erat illis fortior, nisi quod cū doloris magnitudine esset sui oblita, obliuiscatur etiam timoris, & lætitiæ, & omnium aliarum rerum. Imò ita erat extra se, vt nec cognosceret eum, in què tanto amore ferebatur. Nam si illum cognouisset, nō quæreret in sepulchro, sed memor verborum ipsius, quibus significarat se crucifigendum, & tertio die resurrecturum, non doleret de morte ipsius, sed de eius resurrectione lætaretur.

Magdalena interea dum plangere, inclinavit se, & prospexit in monumentum; prius viderat monumentum esse vacuū, nihilominus magnitudo amoris

ris faciebat, vt sæpius introspiceret; Vidit ergo duos Angelos, qui ei dicebant: *Mulier quid ploras?* sed ipsa ob vehementiam doloris, abstracta quasi à sensibus, nec recipiens ex Angelorum visione solatiū, intra se dicebat: Hei mihi quæ consolatio est ista? Omnes consolatores mihi graues & innoxij accidunt extra vnum: non quæro creaturas, sed creatorem: non Angelos, sed eum qui & me & Angelos fecit; tulerunt Dominum meum, ipsum solum quæro, ipsius caussa plango, ipse solus me potest consolari. Sed eheu nescio vbi posuerunt eum, quid faciam, aut quò ibo? Non dabo somnum oculis meis, nec requiem pedibus meis, quousque inueniam illum, quem diligit anima mea. Hei miseram me, vbi est gaudium meum? vbi absconditus est amor meus? Sine ipso quid faciam? discedere à monumento est mihi mors: manere vero ibidem dolor est nullo modo consolabilis; sed melius mihi est manere & hic mori, vt saltem sepeliar iuxta sepulchrū Domini mei. O quàm beatum, erit corpus meum, si fuerit sepultum ad latus Magistri sui! & quàm felix anima mea, si exiens ex fragili corpore, potuerit statim intrare gloriosum monumentum Domini mei!

DE RESURRECT. DOM. 443

Sed tu, dulcissime Iesu, quare modò erga illam discipulam tuam, quam olim te adeò amare demonstrasti, factus es ita crudelis? tu illam defendisti contra Pharisæum; tu es qui excusasti illam apud sororem, & tantum commendasti in præsentia tuorum Apostolorum; tu etiam ille ipse es, qui videns eam plangere, unà cum ipsa fleuisti, & illius gratia & amore resuscitasti fratrem ipsius Lazarum: iam post hæc omnia in quo offendit dulcedinem cordis tui, quod ita te ab ipsa elonges? Certè post conversionem suam, nihil de ipsa est auditum, nisi quod, postquam fuisti positus in sepulchro, ipsa primò omnium mane venerit ad sepulchrum, ut vngeret corpus tuum, & cum non inueniret, summa festinatione cucurrerit, ut hoc indicaret discipulis tuis, qui venientes ad sepulchrum, & cernentes te non adesse, abierunt; & hæc sola remansit ibidem plorans. iam si hoc peccatum est; non potest negari ab ipsa commissum: si verò est signum vehementis amoris erga te, quare te illi abscondis? Nonne tu etiam dixisti, quod amantes te diligas, & inueniatis ab ijs qui mane vigiliant ut te inueniant? Cui ergo, illa, quæ ita tempestiue excitata est, ut veniret ad

qua-

Prov. 8.

Luc. 10.

quærendum te, te non inuenit? Et si dixisti olim de illa ad sororē suam, quod meliorem partem elegerit, quæ non auferetur ab ea, & certè elegit meliorem partem, quia te elegit, quomodo ergo verū est, quod non auferetur ab ea, cum te, quem vnū elegit, à se ablatum conspiciat: Quod si non est verum, eam partem quam elegit esse sublatam, vt quid ergo plangit, & adeò quærit?

Interim dum Maria tali modo doleret, conuertens se, vidit Iesum stantem, (sed non cognoscebat eum) dicentem ei: *Mulier quid ploras, & quid quæris?* O bone Iesū cur interrogas ex Maria quam obrem ploret? Paulo ante summo cum dolore, vidit te suspensum in cruce, & iā dicis, quid ploras? Iam sunt tres dies, cum vidit manus tuas, quibus ei sæpe benedixisti, & pedes tuos, quos tanto amore exosculata est, quos rigauit lachrymis, esse confixos durissimis clavis in cruce, & tu dicis, quid ploras? Postremò videt nunc se etiam esse spoliatam corpore tuo, quod vt haberet aliquod solatium, venit vngere, & tu dicis, quid ploras? & quid quæris? Optimè nosti, quod te solūm querat, & propter te plāgat. Dulcis Magister, noli vltra affligere animam huius mulieris, putasne, quod
ipsa

ipsa debeat tibi respondere, ploro propter te, & te quæro, si tu nō prius loquaris ad cor illius, & dicas, Ego sum ille, *Ioan. 18.* quem quæris? O bone domine, si in nocte passionis tuæ, quando veniebant infernales isti ministri, vt te apprehenderent, postquam rogasses quem quærent, te illis adeò promptè obtulisti, dicendo: Ego sum, quare iam, rogando ex hac tua discipula, quæ adeò te amat, quæ quærat, non dicis, Ego sum iste? præsertim, cū illi te quærent, vt vitam tollerent; hæc vt det, si posset: illi vt te affligerent flagellis, & plagis conciderent; hæc vt vngat plagas tuas.

Magdalena existimans quod Iesus esset hortulanus, dixit ei: Domine, si tu sustulisti eum, dic mihi, vbi posuisti eū, & ego eum tollam. O miserabilis dolor! O inenarrabilis amor! hæc mulier ob vehementiam amoris & doloris habebat oculos cordis ita obscuratos, vt non videret id, quod videbat, quia videndo Iesum, non cognoscebat Iesum, & fortè causa, cur non cognosceret viuum, erat, quia quærebat mortuum? dicit itaque, si tu sustulisti eum, dic mihi vbi posuisti eum, & ego eum tollam. Quid est hoc, quod tu dicis ô Maria? Iosephus timebat, & non audebat tollere corpus Iesu.

V nisi

nisi noctu, & cum licentia Pilati, & tu non expectando noctem, neque curando Præsidentem, audes dicere, Ego eum tollam? O Maria, si fortè corpus Iesu positum sit in atrio principis sacerdotum, in quo princeps Apostolorum stabat calefaciens se ad ignem, quid ageres? Ego (dicit ipsa) eum tollam. O mira audacia mulieris! O mulier non mulier! Sed dic mihi, ô Maria, si ancilla ostiaria, quæ interrogabat Petrum, roget ex te, quid facies? Ego nihilominus (inquit) eum tollam. O amor ineffabilis! O audacia mirabilis in muliere, quæ nullum excipit locum, nulla respicit personam, sed absolutè dicit, dic mihi ubi posuisti eum, & ego eum tollam.

Sed tu ô bone Iesu, quomodo es oblitus dicere, id quod olim dicebas mulieri Cananæ, *Vade, & fiat tibi sicut vis.*
Matth. 15. Anne oblitus es misereri? Cur non indicas, ubi te ipsum posueris, ut illa te tollat supra cor suum, & eat, ut ferat hunc bonum nuncium tuis discipulis? olim quando tu rogabas ex hac tua familia de fratre suo Lazaro, ubi nam posuissent eum, illa subito te ducebat ad locum: quare iam ipsa rogante ut dicas, ubi te ipsum posueris, te illi abscondis, & nō te manifestas? *Quæso dulcis Magister*
ne

Ioan. 11.

ne suspendas vltra desiderium eius, tres enim iam sunt dies, cum te expectat, & vltius nequit sustinere. Vnde corpus hoc suum diutius viuum cōseruare nequit, nisi tu citò illi præbeas panem corporis tui, cum tu sis panis viuus, qui dat vitam mundo, & continet in se omnem saporem suauitatis.

Ioan. 6.

Sap. 16.

Iesus ergo dixit illi: Maria, ad quam vocem subito se conuertens, respondit: Magister. Et Dominus subiunxit: Noli me tangere. O mutatio dextræ excelsi! Quam primùm Maria audiuit vocem, qua solebat compelli à Domino, sensit intra se miram dulcedinem, ex qua cognouit, illum esse Magistrum, quem tanto desiderio quærebat. O quanta fuit lætitia quam sensit intra pectus suum, & quomodo liquefacta est anima eius, vt sensit sponsum loquentem & dicentem: Maria: iam magnus ille dolor qui occupauerat animum, citissimè in gaudium vertit; & lachrymæ doloris, in lacrymas amoris. Iam reuiuiscit spiritus eius, & redeunt sensus, quos perdiderat; Et interim dum Iesus vellet prosequi sermonem, non poterat Maria patienter expectare, sed eum interrupit, dicendo: Magister: existimabat enim non amplius esse opus

Cant. 3.

verbis, postquam inuenisset verum verbum, quod quærebat, vnde sibi melius ducebat tãgere illud diuinum verbum, quã auscultare verbis. O amor fortis & inpatiens, non sufficit Mariã videre Iesum, & loqui cum Iesu, si etiam non tangat Iesum, quia bene nouerat, à Iesu exire virtutem, quã sanaret omnes.

Luc. 6.

Iam, ô anima mea, tu etiam sequere affectum piã huius mulieris; plange præ desiderio Iesu, quære fideliter Iesum, quære illum in caligine & nocte miserã huius vitæ, vt faciebat sponsa cum diceret. *In lectulo meo quæsui per noctẽ quem diligit anima mea.* Quære illum conti-

Can. 3.

nuis suspirijs & gemitibus, vt faciebat sanctus ille Rex cum diceret. *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dũ dicitur mihi quotidie vbi est Deus tuus;*

Psal. 41.

Quis te sustulit Deus meus? Et vbi te posuerunt? Imò quare mihi sublatus es? Cur me priuasti dulci tua presentia? Cur abscondis faciem tuam, & obliuisceris inopiã & tribulationis meã? Væ mihi, ego ille sum, qui te perdidit; ego te expulsi à me. Iniquitates vestre, dicit Propheta, diuiserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis. Ergo peccata mea tulerunt Dominum meum: Et vbi posuerunt

Psal. 43.

Isaia 59.

suerunt

suerunt eum? In cruce. O crudelia peccata! quæ sustulistis mihi Dominum meum; sed magis crudelia & impia, quæ affixistis in ignominiosissimo ligno. Vade anima mea, & prosterne te cum Maria Magdalena ad sepulchrum Domini tui, ibiq; considerando quantum pro te passus sit, plora cõpatiendõ illi, & tibi ipsi, pro qua voluit mori, vt moueatur ipse ad compatiendum tibi, & dignetur tibi apparere, & vocare te nomine tuo (vt fecit Mariæ) & cum ipsa te pariter consolari.

COLLOQVIVM.

ROGA Christu D. N. vt, quoniam ipse ita bonus & dulcis est illis, qui ipsum diligenter inquirunt, & nunquã eos spernit, qui in ipso spem suam collocant; tibi concedat gratiam, qua possis ad exemplar huius discipulæ, ipsum toto corde amare, omnibus viribus quærere, & ex tota anima tua in ipso sperare, vt merearis vicissim ab illo redamari, quæri & inueniri, & vt in omnibus necessitatibus tuis nunquam ab illo repellaris.

DOCUMENTA.

1. **D**ISCIPVLI venerunt videre
 V 2 se

sepulchrum, verum non permanserunt, idcirco id temporis non meruerunt videre Christum, sed Magdalena, abeuntibus discipulis perseveravit, unde digna fuit pre reliquis omnibus primo videre Dominum. Deus non remunerat nostras actiones, si in ipsis non perseveremus, quia perfectio boni operis perseverantia est.

2. Maria Magdalena, lacrymis obtinuit omnia, qua voluit, nam flendo impetravit remissionem peccatorum, fratris resurrectionem, & consolationem, ut videret Christum gloriosum. Ita & nos si cupimus obtinere peccatorum remissionem, spargamus cum Magdalena compunctionis lacrymas. si volumus impetrare auxilium & conversionem proximorum, spargamus compassionis lacrymas. Denique, si cupimus inueniri digni diuina visitatione & consolatione, profundamus lacrymas deuotionis.

3. Maria interim dum sederet iuxta monumentum, non vidit Dominum, sed quando se inclinavit, & introspectit, vidit Angelos, & paulo post ipsum Dominum. Ita nos quando sedemus in oratione & consideratione vite Christi, si non sentiamus consolationem, ut desideraremus, inclinemus nos & prospiciamus in sepulchrum, videlicet considerando nostras

im-

imperfectiones, humiliemus nos, & cognoscamus nos esse indignos tali gratia, & Dominus non deerit, sed illico consolabitur nos.

4. Imò cum in oratione non inuenimus Christum, hoc est, consolationem spirituales, non debemus desperare aut desistere, sed perseverare: cum compunctione & desiderio, & recurrere ad auxilium sanctorum, ut fecit Magdalena, qua Christum non inueniens, non discessit, sed perseveravit plangendo, desiderando, & rogando, usq; dum illum inueniret.

5. Magdalena videns se priuatam Christo, plorabat, sedebat, & prospiciebat in monumentum: ita nos cum sumus priuati gratia Dei, si volumus eam recuperare, debemus plangere peccata nostra, sedere humiliter considerantes nos ipsos: & sepius introspicere in sepulchrum, considerando illum, qui pro nobis passus est.

6. Maria interea dum Christus ipsi loqueretur, illum videbat (quia amabat) sed quia non erat perfecta in fide, ipsum non cognoscebat. Ita nos, dum sumus absque peccato mortali, habemus intra nos gratiam Dei, sed multa imperfectiones, quas cum illius amore commiscemus, saepe non sinunt nos cognoscere, nec sentire, quod sit ut simus aridi & frigidi in Dei seruitio,

tio, absq; ullo gustu spirituali.

7. *Magdalena quando cognouit Dominum, accurrit inconsideratè, ut illū amplecteretur: sed ipse eam repulit his verbis: Noli me tangere, & subiungens præcepit, ut annunciaret Apostolis resurrectionem suam, ut hinc intelligamus Dominum nobis non dare consolationem, ut in ea indiscretè queramus nos ipsos, sed ut nos per eam adiuti studeamus etiam iuare & consolari alios.*

8. *Maria stabat iuxta sepulcrum & plangebat; Vita anima sancta in hac misera peregrinatione est, semper stare iuxta sepulchrum Christi, considerando illius amarissimam passionem, & deflendo continuo propria peccata, propter quæ Saluator mortuus est, & tu priuatus es eius dulcissima presentia.*